Acta et decreta in conuentu Imperiali Ratisbonensi in Articulo Conciliacionis concordiæ inter Status Catholicos et confessionis Augustanæ faciende 1557

Inter ea, quæ in hoc Imperiali conuentu Rathisbonensi tractata sunt, precipuus articulus fuit de conciliando inter Catholicos et confessionistas concordia in Religione, In quo sane tractatu propositis quatuor componendorum dissidiorum in Religione uijs, quæ sunt Concilium uniuersale, Concilium Nationale, Colloquium, et Consultatio Statuum Imperij duæ tantum in consultationem uenerunt, Concilium uniuersale et Colloquium, nam aliæ duæ tamq ad eam rem minus pertinentes, mox ab utraq parte reiecte fuerunt, Delectus Concilij ad eam rem ex omnibus Imperij Statibus factus est personarum decem et octo ex utraq parte Catholicorum et protestantium, Nouem ex parte uidelicet Catholicorum Moguntinensis, Treuerensis, Coloniensis Archiepi Electores, Archiepus Saltzburgensis, Archidux Austriæ, Episcopus Augustanus, Albertus Dux Bauariæ Orator et Nuncius Prelatorum Suauiæ, et Ciuitas Imperialis Ramundia. Ex parte uero Confessionistarum nouem alij Comes Palatinus Elector Dux Saxonie, elector Marchio Brandemburgensis, Elector Dux Virtemburgensis Lantgrauius hassiæ Comitis in Ditterau et Ciuitas Argentinensis; His igitur Consiliarijs in unum conuenientibus, Primum de Concilio uniuersali hoc inter eos conuenit eam uiam ad tollenda dissidia in Religione, non solum reliquis magis conuenientem, sed etiam in Ecclesia ab Apostolorum temporibus semper fuisse usitatior, Illud autem per multos dies inter partes disceptatum fuit inter Concilium uniuersale, et Colloquium utrum utri esset præferendum